

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Türkische Texte mit französischer Übersetzung - Cod. St. Märgen 1

[Straßburg?], [um 1720]

[Text]

[urn:nbn:de:bsz:31-161021](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-161021)

GRAMMATICÆ TURCICÆ

PARS SECUNDA

De Nomine ejusque accidentibus.

Solent quidem Arabes à Verbo Grammaticam suam auspicari; cum enim illis tertia præsentis persona singularis masculina sit radix & quasi fons, unde cæteræ orationis partes derivantur & propagantur: inde fit ut Verbum apud illos sit prima orationis pars, talique ordine eandem linguam Arabicam doceant plerique Latini Authores. Cum autem Lingua Turcica, quam hic primariò docemus, possit ad ordinem Grammaticæ latinæ revocari, methodo insistemus Despauterii, Alvari, aliorumque Grammaticorum, in easdem, in quas ipsi, partes dividendo Grammaticam.

Nomen igitur prima orationis pars vocatur ab Arabibus الاسم *elismü*, seu Turcico modo اسم *ism*, aut ferè isim. Est autem vel Substantivum موصوف *mewsüf* dictum, quod per se in oratione esse potest, idque proprium, ut جها *jehjä*. Joannes, *ج بک* Vienna: vel Appellativum res communes atque incertas significans, ut مدينة *medine*. Urbs, كوي *köj*, pagus, aut Collectivum numero singulari significans multitudinem, ut خالك *chalk*, populus, الاي *alaj*, turba, turma, بيراقلىك *bajraklyk*, cohors militum: vel Adjectivum وصف *wasf*, نعت *naet*, aut صفت ذات *syfeti zät* dictum, quod absque substantivo explicito vel implicito in oratione esse non potest, ut ايو *ejü*, bonus, گوزل *güzel*, pulcher.

Porrò in nomine consideranda sunt articulus, genus, motio, numerus, casus, declinatio, comparatio, species, figura.

CAPUT PRIMUM

De articulo Arabico.

Articulus est particula demonstrationis, vel emphaticæ significationis, in multis linguis usitatus, ut in Græca, Germanica, Hungarica, Italica, Gallica, &c.

Turcæ ac Persæ nullum ejusmodi adhibent articulum.

Arabibus autem est unicus articulus ال *el*, *il*, *ül*, dictus المعرفة *elma'rifetü*, id est notio, vel notificatio, quia nomen notum & determinatum efficit, quod aliàs erat indeterminatum & vagum, ferè ut Germanicus articulus der / die / das / aut Italicus il, la, lo; cum hoc tamen discrimine, quòd cum Substantivum articulo affectum aut determinatum construitur cum Adjectivo eandem partem enuntiationis constituyente, debet etiam Adjectivum articulo affici ac determinari, ut الكتاب العظيم *elkitäbü'l-âzýmü*. Liber magnus.

Das grosse Buch / non das Buch / das grosse. Dicitur etiam إبراهيم الأمين *ibrähimü el eminü*, Abraham fidelis; quod etiam Nostratibus diceretur Abraham der trewe. Abramo il fedele. Abraham le fidel, prout dicitur Alexander der grosse. Alessandro il Grande. Alexandre le Grand. De quo plura in Syntaxi.

Hic autem observes velim, cum articulus inchoat comma, legi communiter ال *el*. Ceterum cum sit unionis adeoque nota وصل *wasl*, vel وصله *wasle* subjaceat, ideo dum postponitur alicui dictioni, illud amittit suum sonum, ut in exemplo allato الكتاب العظيم *elkitäbü'l-âzýmü*, ubi articuli secundi omnino otuari videtur. Et idipsum contingit omni *el* unionis, quale est verbale, sive Imperii in verbis prima conjugat. ut انصر *unsür*, juva: اضرِبْ *yzryb*, verbera, sive characteristicum in præteritis activis,